Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2633
Quelle:
Copyright:

Sacerdotem *Bohemum* ſaepe memoratum pertinens, ut multa veſtigia etiam lingua gentis in eo derelicta indicant, *Sermones ſacros* complectitur, et I. quidem ſic dictos *de Tempore*, initio capto a *Dom. prima Adventus*, in quam *Sermo primus* incipit: *Emitte manum tuam de alto* &c. Sunt vero *Sermones* numero 155. paſſimque plures in eandem diem.

II. *fol.* 197. ſequuntur *Sermones de Feſtis Sanctorum*, tam proprii, quam communes. Primi in Feſtum D. *Andreae* initium eſt: *Extendam palmas meas ad dominum* &c. Inter hos et praecedentes *Sermones*, uti et ad calcem *Codicis* adſcripti ſunt recentiore calamo alii quidam varii argumenti *Sermones*, quibus immorari operae pretium non eſt.

DCXC.

130 Codex chartaceus lat. Sec XV. Folior. 379. f. a diverſis, et partim per duas columnas, currente calamo ſcriptus plura complectitur *Opuſcula theologici Argumenti*, quae ſe excipiunt, ut ſequitur. I. *Jac. de Voragine* ex Ord. Praed. ad Archiepiſcopatum *Januenſem* promoti, Sec. XIII. Scriptoris, ✠ 1298. *Sermones Dominicales per annum ſelecti*, ita, ut ex tribus in ſingulas Dominicas unum tantum hic repraeſentaverit Librarius, hisque ſubjunxerit *Sermones de B. V. M. in ſingula Quadrageſimae Sabbata.* Editi ſunt jam Sec. XV. pluries hi Sermones, ut videre eſt in *Quetifi Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 456. qui vero de B. V. tractant, diſtinguendi a *Mariali Jacobi*, quo *Mariae* Laudes ordine *alphabetico* exequitur.

II. *fol.* 52. *De Miſſa breuis ſignificatio.* Exponuntur Ritus Miſſae ab *anonymo* Autore ad modum *Hugonis Card. Bern. de Parentinis* &c. hoc initio: *Ut cum majori deuotione ſacro ſancta ſolennia miſſarum audiatis et reuerentius miſſe interſitis* &c.

III. *fol.* 55. Thema *Sermonis in Sabbato ante Judica* in illud: *Ego ſum lux mundi Job.* 8. *Sermo de B. V.* in idem. *Sermo in Coena Domini* in illud: *Unum opus feci Job.* 7. Incertis autoribus, exiguique momenti.

IV. *fol.* 58. *Themata* ſacrarum Dictionum per annum ſic inſcripta: *Ignoratis principijs neceſſe ignorantur Principata, ideo ſequuntur initia ut ſermones ſequantur.* Themata ejusmodi reliquiſſe *Jacobum Januenſem* ex *Catal. Codd. Mſſ. Angliae* prodit *Quetifus l. cit.* An haec noſtra ſint, ignoramus. *Albertum M.* in iis citari ſaepius obſerves.

V. *fol.* 63. *Udalrici* Abbatis *Campiliienſis* O. Ciſt. in *Auſtria* inferiore *Concordantia Caritatis*, ſive Materia Dictionum ſacrarum per totum annum. Audi praefantem: *Noticia huius libri, qui Concordancia Caritatis appellatur, talis eſt. In ſupremo circulo primi folii ſemper ponitur evangelium depictum, et iuxta illud quatuor auctoritates de prophetis cum ipſo evangelio concordantes. Sub quo due hyſtorie veter. teſtamenti ponun-*